



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 55. Augustini Cusani Cardinalis mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. A.C. 1598. mo nonagesimo octavo, ætatis vero sue septuagesimo primo vivis ereptus est: postero corpus ejus sepultum quiescit in quadam Basilicæ Lateranensis sacello, quod ipsemet sancto Francisco dicatum construxit, dotavitque.

§. LV.

Augustini Cusani Cardinalis mors.

Ciac. l. c. p. 192.

Paulo post Augustinus Cusanus eadem æternitatis viam aggrediebatur, qui nobilibus parentibus Alphonsi seu ut alii volunt, Aloysio Cusano, & Constantia Adda Mediolani progenitus ob ingenii sui excellentiam jam a puertitia totum sese literarum exercitationibus cum insigni profectu sacrabat, ac humanioribus literis Mediolani, Avenionæ autem, & Bononiæ sub Angeli Papii magisterio jurisprudentiæ operam navavit, adeo, ut Ticini ad Jurisconsultorum collegium adoptatus utriusque juris Professor renunciaretur: postea in patriam reversus, & in sancti Caroli Borromæi consortium accitus morum sanctitate præfulgebat; cum vero ob familiaris suæ negotia Romam contenderet, prospero sane fato in ædibus Beatæ Mariæ in Vallicella cum Francisco Maria Terusio, & Cæsare Baronio maximi nominis

Sæcul.XVI.
A.C. 1598.

minis Cardinalibus, necnon cum sancto Philippo Nerio magnam familiaritatem ex morum similitudine auctam contraxerat, unde cognitis tam præclari viri meritis, ac singulari ejus eruditione a Gregorio XIII. utriusque Signaturæ Referendarius, & Cameræ Clericus, ab illius vero successore Sixto V. Rotæ Auditor nominabatur, atque anno a partu Virginis millesimo quingentesimo octuagesimo octavo die decima quarta Decembris Diaconus Cardinalis titulo sancti Adriani creabatur: postea sub Gregorio XIV. octava Februarii die anno salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo primo Presbyter Cardinalis titulum S. Laurentii in Pene, & Perna adoptavit, a Clemente vero octavo Pontifice maximo titulum SS. Joannis, & Pauli die trigesima Augusti anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto obtinuit, qua dignitate auctus præclara Ecclesiæ præstitit obsequia, in variis Congregationibus sedulo operam suam impendens. Hic idem Cardinalis in Ecclesia tituli sui ad sanctum Adrianum invenit corpora sanctorum Marii, & Marthæ unacum plurium aliorum sanctorum Martyrum Reliquiis, quæ in tribus distinctis loculis cum peranti- quis, lectu tamen haud arduis inscriptio- nibus defossæ delitescabant, ex his au- tem

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

tem præcipue erant Reliquiæ SS. Adriani, Nerei, Achillei, Domitillæ, Mariæ Marthæ, Simetri, Simeonis, Justini, Renati, Flaviæ, Papiæ, & Mauri, unacum sanctorum trium Puerorum ossibus, quæ hic Cardinalis sub altari majori magnificentius exornato condidit, sanctorum vero Papiæ, & Mauri corpora ad Ecclesiam sanctæ Mariæ die decimâ octavâ Februarii anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo annuente Sixto V. transtulit, Fratresque Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede introduxit: porro anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo octavo Clementem VIII., qui Ferrariam petierat, comitatus inde Mediolanum divertit, ubi eodem annuæ tatis suæ quinquagesimo septimo die decima quinta Octobris e vita excessit, ac pietatem, suamque liberalitatem non modo in ditandis Lauretanis ædibus vivus, sed etiam moriens testatam reddidit, dum voluntatis extremæ tabulis Mediolani Nosocomium omnium bonorum hæredem scripsit, multaque aureorum millia domesticis suis legavit. Sepultus est in Ecclesia sanctæ Barbaræ, ubi Hospitalis domus Præfecti in grati animi monumentum eidem perhonorificum Cenotaphium posuere.

§. LVI